

Quae sunt peccata prohibita in sexto praecepto?

[31:] Non modo adulteria, stupra, incoesti concubitus, sed etiam spurcae et impudicae cogitationes, obsceni sermones, lasciui gestus, denique omnes illicitae flammae libidinum. Item ebrietas, crapula, helluationes, intemperantia, quaerere occasiones et illecebras, quibus accenduntur ac fouentur foeda animorum incendia. 5

Dic septimum^m praeceptum.ⁿ

Non furtum facies.⁵⁰

Quid nominatur „furtum“ in genere?

Furtum est contrectatio rei alienae, quae fit inuito domino sine compensatione. 10

Quae sunt virtutes huius praecepti?

Sicut sextum praeceptum coniugia sancit, ita septimum approbat contractus legitimos, dominia distinguit, proprietatem rerum ordinat et rectum vsum facultatum praecipit. [32:] Sunt igitur virtutes septimi praecepti iustitia commutatiua, liberalitas, parsimonia, gratitudo. 15

Iustitia commutatiua est, quae in commutatione rerum seruat aequalitatem, ne altera pars exhauriatur. Liberalitas est virtus, quae communicat facultates et operas non debitas obligatione ciuili, sed naturali, et efficit mediocritatem inter sordes et profusiones.

^m VII.: D, E, F, G.

ⁿ Holzschnitt: Achans Diebstahl (Jos 7,1.20–24): B.

⁵⁰ Vgl. Ex 20,15; Dtn 5,19.